



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Romanvm I. Contra Simoniacos Celebratvm anno Domini MXLIX.
tempore Leonis VIII. qui vulgo Leo IX. appellatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
1049.

CONCILIVM ROMANVM I.

CONTRA SIMONIACOS CELEBRATVM
anno Domini MCLIX. tempore Leonis papæ VIII. qui
vulgo Leo IX. appellatur.

NOTA.

^a *Concilium.*] Hanc Synodum tempore supra notato Romæ celebratam fuisse testatur Hermannus in chronico his verbis: *Proximo pascha Vdalricum Augiensis cænobii prouisorem Romam venientem abbatibus benedictione consecrauit, & monasterii eiusdem priuilegia antiquitus a sede apostolica tradita sua auctoritate confirmauit & innouauit, indicatione secunda, V II. Kalendas Aprilis. Idem papa in hebdomada post Albas Synodum cum episcopis Italie Romæ celebrauit. Idem in hebdomada pentecostes aliam Synodum Papie congregauit, indeque per montem Iouis cum pluribus Romanorum in cisalpinas partes deuenit. Hæc Hermannus.*

Tempus
Concili.

Decretum illud quod contra simoniacos in Concilio Romano sub Clemente II. constitutum fuerat, in hac Synodo per Leonem pontificem confirmatum esse Petrus Damiani in epistola ad Henricum Rauennatem archiepiscopum testatur his verbis: *Verumtamen & hoc otiosum esse non credimus, si quod super hoc negotio idem venerabilis Leo papa statuerat, exponamus. Nam cum omnes simoniacorum ordinationes synodalis vigoris auctoritas cassasset, protinus a Romanorum sacerdotum multitudine magna seditionis tumultus exortus est, ita ut non solum ab ipsis, sed a plerisque diceretur episcopis, omnes pene basilicas sacerdotalibus officiis destitutas, & præcipue Missarum solennia, ad subuersionem Christianæ religionis, & desperationem omnium circumquaque fidelium funditus omittenda. Quid plura? Post longa sane disceptationum hinc inde volumina, tandem suggestum est, reuerenda memoria nuper eiusdem sedis episcopum Clementem decreuisse, ut quicumque a simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suæ tempore non ignorans simoniacum esse cui se obtulerit promouendum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti ordinis officio ministraret. Quam nimirum sententiam protinus venerabilis Leo ratam percensuit, & sub huiusmodi pœna hos in acceptis officiis de cetero perseuerare mandauit. Nam & nonnullos hodieque conspicitis, qui dum a talibus diuersi gradus fuerint ordinati, ab eodem summo pontifice ad episcopatus apicem sunt prouecti, nec id perperam, &c.*

Acta Con-
cili quæ?Petr. epist.
16. cap. 30.
tom. 3. bi-
blior. sanct.Decretum
de simonia-
cis.

Aliud idem Petrus eiusdem pontificis synodale decretum recitat superius eadem epistola istis verbis: *Nam & is qui supra magnificus Leo omnes clericos ab hereticis venientes, in his quidem, quos adepti sunt ordinibus præcepit recipi, ad altiores autem gradus prohibet promoueri. Cuius decreti nos titulum contenti sumus hic breuiter adhibere: ad textum autem mittemus quibus vacat diffusius illic exarata perlegere: Quin*

Aliud Leo-
nis decre-
tum, eadem
epistola ad
Henric. cap.
27.

1. quest. 1.
cap. Si quis
hæc.

omnis, inquit, cuiuslibet ordinis clericus, qui catholicam deserens, heretica communioni se miscuerit, si ad ecclesiam fuerit reuersus, in eo gradu, in quo erat, sine promotione permaneat, &c. Ponamus itaque, vt simoniaci in nullo a ceteris hereticis differant, atque per schismaticam sectam similiter cum eis ab ecclesiastica communione procul recedant, in sacerdotio tamen, vel ceteris gradibus, quicumque iam ab eis promoti sunt, Leoniano decernuntur permanere iudicio. Hæc Petrus ex decreto Leonis sancito in hac prima Synodo, in qua prominentiores vepres succifi esse noscuntur.

ANNO
CHRISTI
1049.

CONCILIVM RHEMENSE

PRO DISCIPLINA ET MORIBVS ECCLESIE
reformandis celebratum anno Domini MXLIX. tem-
pore Leonis papæ IX.

Pars actio-
rum syno-
daliū ex
codice Rhe-
mensi a Ba-
ronio acce-
pta.

DEFVNCTO papa Damaso, qui in ciuitate Brixenorum, quæ est in prouincia Istriae, fuerat episcopus, & in apostolica sede inthronizatus, triginta solummodo ibi vixerat diebus, Romani, legatione de eius obitu ad imperatorem Henricum directa, petierunt vt ecclesie pastore viduatae ab eo subrogaretur alius.

Qui super hoc negotio episcoporum & optimatum imperii sui quærens consilium, inuenit inter ceteros dominum Brunonem Tullensem præfulem ad idem officium subeundum esse idoneum, vtpote qui ætatis maturitate morumque & scientiæ claritudine videbatur conspicuus, sibi que sanguinis affinitate proximus. Vnde apostolica dignitatis ei adiudicata sunt insignia iussuque ab Augusto, vt ad hæc secundum ecclesiasticas sanctiones suscipienda Romana inuiseret mœnia. Sed quia solennia imminebant natiuitatis dominicæ, hæc cum clero, cuius fuerat pastor, disposuit celebrare, eis que celebratis, quo erat præceptum abire.

Huius itaque pontificis notitiam in colloquio, a præfato imperatore & Francorum rege de pacis & amicitie confirmandæ gratia ante non multum tempus habito, memoratus abbas Herimarus fuerat consecutus, a quo etiam promissum acceperat, quod in proximo quadragesimali ieiunio beati Remigii sepulcrum absque equi solatio foret expetiturus, quia cum eorundem regum aliquando fami-